



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Patris Gasparis Druzicki

Pawlowski, Daniel

Ingolstadii, 1732

VD18 90066324

Actus ad Jesum agonizantem pro felici morte.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45343

tati Divinæ, simulque petebat, ut absque congrua Sacramentorum communione, ex hac vita non decederet, sed particeps omnium dignè effectus, in præsentia JESU CHRISTI, Præciosissimæ Parentis, Sanctorumque omnium, moreretur, ablutus in balneo Sanguinis JESU CHRISTI, ab omni pænæ, & culpæ obligatione. Post Sacrum, mortem suam agonizanti in Cruce Christo, commendabat actibus sequentibus.

Actus ad JESUM agonizantem pro felici morte.

JESU in Cruce agonizans, & moriens pro me; immitte quæso spiritum Tuum in cor meum, illoque animam meam vivifica, quoniam teste, & dante Te, Tuo solo spiritu vivere volo, tam in hujus præsentis vitæ meæ tempore, quam in mortis meæ articulo.

2. JESU in Cruce agonizans, & moriens pro me; adoro Te adoratione Patriæ debita Majestati Tuæ, Divinæ, insuperque mori totis viribus cupio, ut morte meâ quam citissimè, & condignissimè agonizantem, morientemque Te pro me in Cruce, venerer, ac morte meâ quoad possum, compensem mortem Tuam.

3. JESU in Cruce agonizans, & moriens pro me per hunc agonem tuum & per spiritum, quem in manus Patris Æterni commendasti, obtestor Te, ut instans mortis Tuæ influat, in mortis meæ instans, illudque dignificet, & in conspectu Sanctissimæ Trinitatis gratum, atque pretiosum reddat. Instanti igitur mortis Tuæ, agonique Tuopretioso, instans mortis meæ, agonemque meum humillimè repræsento, recomendo, unio, confesco.

4. JESU agonizans, & moriens in Cruce pro me; ibidemque orans pro Crucifixoribus Tuis Patrem, obsecro ut ores quoque eundem pro me, crucifixore Tuo,

Tuo, impetresque mihi mortem Sanctam, & charitate perfectâ consummatam.

5. Jesu agonizans, & moriens in Cruce pro me; stillantem, tependemque amore mei sanguinem Tuum colligo, & lambo devotus, optans simul ac petens à Te; ut in hora mortis meæ adesse mihi præsens, cum gloriosa Matre Tua. Sanctisque Tuis digneris, adnumereresque me saltem ultimis, redemptis, & electis Tuis, & in illo decretorio agonis mei momento, secundum magnam misericordiam, copiosamque redemptionem Tuam miserearis mei.

6. Jesu agonizans, & moriens, in Cruce pro me; nullam omnino spem salutis æternæ, aut nunc habeo in vita, aut habere volo, protestorque in morte mea, præterquam in Sacratissimis vulneribus, doloribusque Tuis, & in mortis Tuæ instanti, quo Redemptionem nostram consummasti. O mi Jesu, sit mors Tua, vita mea: Mors Matris Tuæ dignificet mortem meam. Mors Sanctorum omnium, pretiosam coram Te faciat mortem meam.

7. Jesu agonizans, & moriens in Cruce pro me; Te ergo pauperculus servus Tuus, per Triborium, Agonemque Tuum, quo cum doloribus mortis in Cruce colluctatus es, obsecro, ut Te talem in hora mortis meæ cognoscam, credam, imiter, venerer, diligam, atque corde meo morti succumbente, ex sanguibusque labiis meis, Te personem, invocem, demurmurem, ac laudandi, invocandique Te conatui, ultimate tandem, immoriar.

8. Jesu agonizans, & moriens in Cruce pro me; cupio, propono, & abs Te peto, ut instans in fine vite, mortisque meæ consummativum, sit ardentissimus Tui amor, quo cor meum, & accensum ignescat,

Et vulneratum immoriatur, Et consumptum incineretur, Et concrematum favillescat.

9. Jesu agonizans, Et moriens in Cruce pro me; amo Te quam possum ignitissime, Et aestuosissime, quomodo etiam amare Te volo, statuoque in mortis meae agone, in quo ut cor meum amoris Tui ignibus Seraphicis, Marianisque, ac insuper Tuis, aestuet, palpitet, concutiatur, eorumque actu, Et aestu conficiatur, ac emoriatur, Tu mi Jesu, propter agonis mortisque Tuae instans, misericordissime facito.

Niduli Mortis.

Ex Meditationibus, quas de morte instituebat, hæ erant præcipuæ. *Prima.* In nidulo meo moriar. Nidulus meus. 1. Deus meus. 2. Æternæ Sapientiæ gustus, & Societatis ejus catus. 3. Nutricis omnium Gratia, Medium uberum. 4. Voluntatis Divinæ placitum. 5. Abyssus misericordiæ viscerum. 6. Jesu Christi Crucifixi vulnera, præcipuè latus, & cor hians. 7. Crux Christi Jesu, & dignationes ejus. 8. Pretiosissimæ Parentis manus. 9. S. Angeli custodis brachia. 10. Societas Jesu.

Vestis mortis

Altera. Vestis quâ indutus comparere in oculis Regis æterni, Judicisque, volo. 1. Misericordia, & gratia. 2. Charitas, & æstimatio Dignitatis divinæ. 3. Jesu Christi merita. 4. Pretiosissimæ Parentis, & Sanctorum suffragia. 5. Dignationum Jesu Christi internarum, externarumque vestis. 6. Resignatio in omnitudinem Divinæ voluntatis. 7. Indiviniatio. 8. Nuditas ab omni amoris, libertatis, sensuum, proprietatis, ad Creaturam, vel ad me conversionis gustu. 9. Vestis mancipii Dei, Christi, Pretiosissimæ Parentis, Religionis.

Genus mortis

Tertia. Genus mortis meæ 1. in voluntate Dei

Dei mei. 2. Cupio non solum in charitate mori. Excessu, ac vulnere charitatis extingui. Actum amoris hic in mortis instanti ita inchoare, & deinceps omni æternitate continuare; ut actus ille sit mihi actus mortis, & causa, sit mihi initium æternitatis, finis, & meta mortalitatis. 3. Cupio zelo Gloriæ Dei, gustûsque ejus, & animarum siti, laboreque obrutus, mori. 4. Cupio sine ullo desiderio mei, in solo Divinæ voluntatis placito, quoad omnes circumstantias mori. 5. Cupio assimilatus Christo passo, contempto, pauperi, stulto, morienti mori.

His adnecto affectum Martyrii, quo ille frequenter æstuabat, intuensque Christum in Cruce pendentem, sic eum corde magis quam ore alloquebatur. *Dulcissime Domine Jesu Christe, qui passus, & mortuus es pro me: ex dono gratiæ Tuæ, desidero, & peto, & offero me pati, & mori pro Te, o utinam: Utinam des, & facias me fundere sanguinem, & vitam meam pro Te, qui ita profudisti pro me. Utinam hic, & omnis alius dolor meus, sit mihi letalis, sicut fuit Tibi omnis dolor Tuæ Pretiosissimæ Passionis.*

Hactenus non umbratiles, nam non ad umbratiles mortem exercitationes, ex quibus conaturaliter non nisi fortunata mors sequi poterat: si enim non potest malè mori, qui bene vixit, quanto magis, qui bene mori consueverat. Sequitur jam ipsa mors Patris Gasparis, quam intensissimi præcessere dolores, à febris tertiana causati; in qua integer paroxysmus semper Lethargus fuit. cum eo incipiente, incipiens, desinens, cum desinente. Post tales aliquot morti affines paroxysmos, inter quos tamen videre

*Desiderium
Martyrii.*

*Sacramentorum
usus ante
mortem.*

*Mors Patris
Gasparis.*

erat valentem animum, tum ex refectione, per Epulum caeleste, quod etiam paroxysmis praemittebat; tum ex mortificationibus quas virgarum ictu, die inter paroxysmos intermedio, (ut aliqui adverterunt) adhibebat; tum ex intenta in Caelum cogitatione, devenit ad extrema, si tamen mors, quae in vita ejus, primas semper habebat, extrema dicenda est. Sacro itaque munitus Viatico, nempe percepto eo, qui est vera ad Caelum via, atque ad athleticum in agone certamen, Extrema perunctus Unctione, loquelam amisit, corde tamen, ut ex nutibus, & oculorum obtutu apparebat, alloquens Deum, domesticis, externis, inter quos nonnulli veniebant Praelati, de genu benedictionem ab eo exposcentes, benedixit. Morti jam proximus, cum a quodam Patre, varios illi erga caelestia affectus suggerente, monitus fuisset, ut eliceret amorem inimicorum, etiam eorum, quos Deus praevidebat illi fore infensos, si occasio adfuisset, arcte manum illi strinxit, & gratias egit. Totam vero illa die, quae illi fatalis fuit, nihil amplius agere visus, nisi supplices in caelum manus; oculosque levare. Tandem magis magisque deficiens, sibi tamen praesentissimus, non mori, sed placidissime dormire visus, animam Creatori suo reddidit, post completos vitae annos 71. Anno Domini 1662. die 2. Aprilis, nempe quadragesimo anniversaria, quam Primam Hostiam Sacerdos Deo litaverat. Hora circiter septimam pomeridianam. Mortui facies illico venustior apparuit, quam fuerit in infirmitate, venustae, ut conjiciebatur, coram Deo animae index.

CAPUT